

parrochiam illius circumquaque per diversos pagos sitam nemo fidelium nostrorum ei exinde aliquid abstrahere aut prohibere presumat; quin ei liceat per hanc nostram auctoritatem verbum predicationis domino auxiliante exercere et ministerium suum plene peragere. Et ut hec^a auctoritas^a nostris futurisque temporibus domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus et anuli nostri impressione signari iussimus.

Data^b IIII. nonas septembris < anno incarnationis domini DCCCXIII >, indictione VIII, anno primo imperii nostri; actum Aquisgrani palacio; in dei nomine feliciter^c amen.

2. *Ludwig der Fromme verleiht der Kirche von Visbek die Immunität.*
Aachen 819 September (4).

Angebigliches Original des 10. Jh. aus Korvey im Staatsarchiv zu Münster. — M.² 702.

+[×] In nomine domini dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hludouicus divina ordinante providentia imperator augustus. [×] Si sacerdotum ac servorum dei petitiones, quas nobis pro suis necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non solum imperialem exercemus consuetudinem, verum etiam ad beate retributionis mercedem talia nobis facta profutura confidimus. Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum solertiae presentium scilicet et futurorum, quia vir venerabilis Castus abba ecclesie quae vocatur Fischechi quae^d est constructa in pago Leriga^d cum subiectis aecclesiis in eodem pago Leriga^e et ceteris ecclesiis in Hesiga et Fenkiga excepta una ecclesia in Saxlinga, quam concessimus ad porroechiam sancti Pauli reverti ad locum qui vocatur Mimigernaford, ubi Gerfridus episcopus presse videtur, veniens ad nos petiit celsitudinem nostram, ut ipsum sanctum locum pro mercedis nostrae augmento sub nostra defensione et emunitatis tuitione reciperemus. Cuius petitioni pro divino amore adsensimus et ita in omnibus, quia iuste et rationabiliter petiit, per hanc nostram auctoritatem confirmare studuimus. Praecipientes ergo iubemus, ut nullus iudex publicus neque quislibet ex iudiciaria potestate seu aliquis ex fidelibus sanctae dei ecclesiae ac nostris in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore iuste et rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis et territoriis sitas vel quicquid etiam deinceps propter divinum amorem conlatum fuerit, ad causas audiendas vel freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut homines ipsius ecclesiae tam ingenuos quam

^a) auctoritas hec

^b) datum Hs. 1, dat. Hs. 2, 3

^c) fideliter

^d) quae — Leriga fehlt
burg hier eingeschaltet

^e) et cum decima de silva Ammeri et Ponteburg